

Quaëque fuit longae utilitas et summa viae: sed  
Nil te nosse putes, nisi verba audire loquentis,  
Ingeniique aciem a dictis deprendere detur.  
Magnum in primis, si meminit, quo quaeque theatro  
Vocalis Phryne cecinit, saltavit Orestes. 115

Quosque procax egit decies Arbuscula mimos.  
Nam neque Melpomene tragicis lacrymosa querelis,  
Nec potis est ullo tetigisse Thalia lepore  
Arcadici juvenis mentem, et Baetica corda.  
Impuri vix mente sales mansere reposti, 120  
Scurrilesque joci, et Davo dicteria digna,  
Callidus in scena quae fudit servulus actor,  
Ridiculus varium tunicae illevisse colorem,  
Ligneo et accingi gladio, leporemque galero,  
Et capiti nigrum personae imponere rictum. 125

Jamque age, si qua potes, visa aut audita referre  
Ne pigeat. Nil vidit, nil sensit, meminit nil  
Truncus iners! inter caupones et meretrices  
Vita fuit misero, inter lustra interque popinas.  
Sed ne cum puero dure, aut egisse severe 130  
Forte tibi videar, jam illud concedo libenter,  
Ut quaecumque velit nobis mendacia narret,  
Fingat inauditas ut res, incredibilesque.  
Hoc vetus est dudum, a longe venientibus ut sit  
Jus, patriae postremo ubi in otia tuta recedunt, 135  
Res, loca, personas omnes, et tempora in unum  
Structa Chaos miscere, et per mendacia mille  
Auribus, ut pecudes, indoctum ducere vulgus,  
Seque suis ipsos dictis inducere testes.